Sit omnibus notum Quod Ego Raymundus Castani filius Guillelmi Castani condam parrochie Sancti Saturnini francus et liberatus a dominio domini castri de Monellis cuius fui sponte convenio et facio me hominem proprium et solidum Monasterii Sancti Danielis Gerunde In manu et posse vestri Petri de Vilacio clerici et procuratoris eiusdem Monasterii cum omni prole ex me descendente et cum bonis meis mobilibus. Promittens vobis nomine dicti Monasterii recipienti quod ero ipsi Monasterio et regentibus sive tenentibus ipsum fidelis et legalis de corpore et avere tamquam domino meo naturali et non intrabo causa morandi aliquod castrum villam vel civitatem nec aliquid aliud faciam propter quod dictum Monasterium me amittere possit et alius lucrari. Et hec facio pro eo quia emi mansum Moradellum vocatum existentem in dicta parrochia cum suis honoribus et possessionibus et cum baiulia ipsi manso pertinente a Petro de Casadeual de Riuosicco parrochie de Matremagna et ipsum inhabito de quo manso Monasterium antedictum habet et habere debet homines et feminas residenciam personalem in eodem facientes. Iurans sponte per deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a me tacta predicta omnia et singula rata et firma semper habere tenere et observare et in aliquo non contravenire aliqua racione. Et ad maiorem firmitatem de predictis homagium facio in presenti homagium ore et manibus comendatum dicto procuratori nomine dicti Monasterii et venerabilis Abbatisse eiusdem recipienti. Actum est hoc nono kalendas Iunii Anno domini M. CCC. XXX. Quarto. Signum Raymundi Castani predicti qui hec firmo et laudo concedo et iuro.

Testes huius rei sunt Iacobus Cominus notarius Gerunde et Petrus Vitalis de Riuosicco parrochie de Matremagna.

Ego Arnaldus de Manso notarius publicus substitutus auctoritate regia a Guillelmo de Roylano publico Gerunde notario hoc scribi feci et clausi.

n.º 691

·pspt[illegible]m · ce · [illegible] · [illegible] · [illegible] [illegible]

S. Sadurni.
Mas Monadell.

Homenatge prestat per
ramon cassa de sant
Saduri per raho de mas Mona
dell de St. Saduri y Sant
St. Damià. A 24 maig 1334.

N.º 7 del segon Plec de S.t Sadurni

AC f. 287 v

T. 155 X 275

720

Sti Sadurnj

N.º 60 Hom. compa lo mas Monadell
S.t Sadurni. Lletra 21 p. 75